

1527 imitati, qui rebus maritimis clari florentem Rempublicam reliquerant. Lando imperatori mandatur, ut Dalmatiam prætervehens, oppidis, atque urbibus quibuscunque rebus possit, adjumento sit; deinde Corcyram versus tendat, ibi triremes opperiat, classemque omnem cogat, quæ Joanni Mauro, atque Augustino Amulio legatis obtemperabat, ibidem Senatus voluntatem, ac mentem intellecturus. Dum hæc geruntur, in Insubribus bellum, quod intermissum, ac fere sopitum videbatur, ob Romanam cladem cunctorum defixis animis, de novo cœpit renovari, atque recrudesce: qua re vel armorum propinquitate, vel quod ad summam totius rei Francisci Sfortiæ eventus magnum momentum afferre arbitrarentur, non parum Veneti sollicitabantur. Nam Sfortia in omnem occasionem intentus Joannem Baptistam Specianum Doctorem Venetias Oratorem miserat, ut quo loco res illius essent, doceret; nova spe erectum Sfortiæ animum aliquod facinus adversus hostes patraturum, mille ac trecentos pedites illi adesse, Laude, ubi tunc erat, ad exercitum profecturum: petere, ut illi pecunia a Senatu quamprimum mittatur, qua copiarum numerum ad tria millia augere posset. Ea libenter, ut Francisci animus in fide, ac benevolentia erga Rempublicam retineretur, præstita, & Dominico Contareno legato injunctum est, ut omni in re ausis, cœptisque Sfortiæ faveat.

*Joannes
Maurus c. l.
Amulio
classis lega-
tus.*

*Joannes
Baptista
Specianus
Sfortiæ
orator ad
Venetos.*

*Mandata
Senatus
Dominico
Contareno.*

Interim Franciscus Galliæ Rex captivitatem Clementis miseratus, atque Hispanorum ex victoria spes, & animos auctos ægre ferens, nihil prætermittebat eorum, quæ ad exercitum quamprimum in Italiam mittendum conducere: nam decem millium Italarum peditum delectum haberi jusserat; novos ex Helvetiis milites, ut quindecim millium numerum æquarent, colligi; quinque præterea Germanorum millia: neque vero minori sollicitudine maritimarum expeditionum premebatur; propterea Andream Auriam Genuensem, ut suo ære militaret, addixerat, virum rerum navalium usu peritum, qui ea tempestate octo triremibus imperabat. Ad hæc quod Anglus cum Gallo in societatis jus coiisset, Franciscus Henricum impulerat, ut decem Germanorum peditum millia suis merentium stipendiis in Italiam mitteret, ut majori conatu foederatorum auctis viribus, adversus Cæsarem bellum administrari pos-